



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii  
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,  
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,  
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1740**

Titulus XXIX. De Parochiis, & alienis Parochianis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

# TITULUS XXIX.

## *De Parochiis, & alienis Parochianis.*

**A**D Ecclesias Parochiales principaliter *jus funerandi* pertinere, in *tit. preced.* ostensum fuit; plura alia jura iisdem competentia in Titulis subsequentibus hujus Libri declarabuntur: sub Rubrica verò præsentis Tituli ipsarum Parochiarum antiquitas, & indoles, nec non Parochorum ac Parochianorum jura & obligationes exponuntur, de quibus subinde fit

### §. I.

*Quid nomine Parochiæ intelligatur, & unde ejus origo arcessenda? Item quæ ejus indoles & natura?*

#### S U M M A R I A.

1. Parochia etymologia. Hoc nomine primitus Episcoporum Diœceses insigniebantur.
2. Parochia describitur.
3. Parochiarum origo obscura, dum alii eandem ad tempora Dionysii Papæ referunt.
4. Alii ad tempora Evangelisti, quod probabilius esse contra Bæhmerum evincitur.
5. Alios fontes sed spurios assignat Bæhmerus.
6. Antiquitas Parochiarum ulterius demonstratur.
7. Quæ ad Parochiam constituendam desiderentur?
8. Fines Parochiarum, si de iis legitime constet, omnem præscriptionem effugiunt.
9. Non etiam, si limites sint confusi, ubi sufficit præscriptio quadragenaria.
10. Contrarii Canones explicantur.
11. Limites Parochiæ materialiter spectati præscribi possunt.
12. Regula certa dari nequit, unde desumi valeat, quod aliqua Ecclesia sit Parochialis.
13. Quot homines dicantur unam Parochiam constituere?

**P**arochia græcam derivationem habet à verbo *Παρομία*, quod latine redditum *domorum adunationem*, seu *habitationes contiguas* significat, hinc secundum græcæ dictionis energiam melius *Parœcia* dicitur. Pri-  
 mis sæculis Episcoporum Diœceses nomine *Parochia* insigniebantur, ut patet ex *cap. 4. 5. & 6. dist. 92.* restatum faciunt Eusebius *hist. Ec. les. lib. 1. cap. 1. lib. 2. cap. 24.* & alibi. Socrates *lib. 1. cap. 6.* S. Epiphanius *Epist. ad Joan. Hierosol.* S. Hieronymus *Epist. 53.*  
 Y ad

ad Ripar. V. Joseph. Bingham. Orig. Eccles. volum. 3. lib. 9. cap. 2. §. 1. & cap. 13. §. 1. ubi ostendit, Parochias, quas hodie habemus, olim *Diaeceses* fuisse appellatas.

2 Parochia, prout contra distinguitur à *Diaecesi* Episcopi, describitur, quod sit locus, sive *districtus* intra fines alicujus *Diaecesis* existens, certis limitibus determinatus, in quo populus ad certam Ecclesiam deputatus à certo animarum pastore regitur. Panormit. ad rubr. h. t. num. 1. Qui per Parochiam Ecclesiam Parochialem intelligunt, utuntur hoc vocabulo in minus propria, & angustiori significatione.

3 Parochiarum origo propter diversa AA. sensa adeo ambigua & obscura est, ut quasi in abdito earum natales adhuc latere videantur, nec certa de iis epocha constitui possit. Ex nostratibus multi, maxime qui superiore aëvo scripserunt, critico sale ut plurimum destituti, censuerunt, per *Dionysium* Pontificem, qui ad clavum Ecclesiae sedit circa Annum à reparata Salute 266. Ecclesias singulas singulis Presbyteris fuisse assignatas, atque adeo ipsum Parochiarum primum conditorem fuisse, persuasi auctoritate Gratiani, qui in cap. 1. C. 13. Q. 1. Epistolam à *Dionysio* ad Severum Episcopum scriptam refert, in qua hujus divisionis, & Parochiarum Constitutionis expressa fit mentio. Verum critica hodierna errorem detexit, ut observat cum aliis Van-Espen *J.E.U. part. 1. tit. 3. cap. 1. num. 1.* palamque fecit, Epistolam hanc non habere Authorem S. *Dionysium*, sed eidem ab *Isidoro Mercatore*, cujus putidas mer-

ces *Gratianus* suo Decreto intulit, fuisse huic Pontifici temere adscriptam.

4 Alii Parochiarum primordia ad tempora S. *Evaristi* referunt, qui Cathedralam Petri conscendit Anno Christi 95. inter quos sunt *Platina* in *vita Evaristi*, & *Francisc. Pagi* in *Breviar. Histor. Chronol. crit. in vit. ejusd. Pontif.* *Valensis* ad *h. t. num. 16.* qui perhibent, dictum Pontificem primum fuisse, qui Romæ per certas Curias Sacerdotes constituit, ut populo sacramenta ministrarent, & vicissim sustentationem ab illo acciperent, quæ Curiae sic distributæ dicebantur *Parochie*. Verum suspectæ fidei videtur *Bœhm*ero hæc *Parochiarum* origo, eo quod tempore *Evaristi* immanis persecutio sub *Trajano* Imperatore Christianos vexabat, unde verisimile non videtur, quod ea tempestate Pontifices tanta libertate usi sint, ut in Urbe Roma (quæ tum Imperatorum sedes erat) tanquam in territorio proprio titulos, Parochias, & Diaconias erigerent, easque Presbyteris assignarent. V. *Bœhm. in jur. Paroch. sect. 2. cap. 2. §. 54.* Hæc ratio (fateor) non videretur à vero ablutere, si ejusmodi Parochiarum determinatio aliter fieri non potuisset, quam cum aliquo apparatu externo & per speciem Imperii, ac dominationis, qualis imperiola agendi, disponendive libertas procul dubio apud effertos gentiles populum Christianum in invidiam adducere, & in extrema malorum discrimina conjicere potuisset: at vero res tunc temporis inter Christianos non cum impetu agebatur, non palam fiebat illa Parochiarum partitio, sed in illis ipsis terræ recessibus, late-

brisque occultis, ubi rei Divinae peragenda gratia fideles convenerant, grex Christi partito inter pastores onere quasi curiatim pascebatur, & adversus luporum imminentium rabiem praeuniebatur. Et hæc quin clam fieri potuerint, quis inficias iverit? Quin, quod etiam furente persecutionum æstu hæc palam fieri potuerint, sine detrimento gregis, vel novissima, eaque domestica exempla *Bœhmerum* convincant. An non eo ipso tempore, quo orthodoxi adversus *Lutheri* assecras arma virumque cecinere, & malum recens natum adhuc in herba suffocare contenderunt, ut ipsi *Protestantes* vehementer in suis gravaminibus conquesti sunt, factum est, ut ipsi Ecclesiam suam ædificare cœperint, quæ ut firma supra *petram* quiesceret, de *petra* Ecclesie nostræ bonam partem, id est, *bona Ecclesiastica*, ipsasque Ecclesias abstraxerunt, & inter se religiosissima sortitione partiti sunt, eorumque commodis pacificata per pacificationem Westphalicam conscientia hodie dum perfruuntur? Et hæc palam facta sunt, cur igitur incredibile videatur, quod SS. Pontifices inter acerbos illos Tyrannorum vexationes Ecclesias diviserint, curamque plebis in plures Pastores partiti sint, ubi Ecclesia id temporis ipso *Bœhmero* teste adhuc corruptionis labem non senserat, nec de alieno ditescere appetebat? Hæc pro *Evaristo*.

5 Alios fontes, ex quibus *Parochiarum* origo peti debeat, *Bœhmerus* detexit. Ab ethnicorum templis earum incunabula repetit. Templum in primitiva Ecclesia Christianis non fuisse excitata, nec culta scribit, verum, ubi

mundus in Ecclesiam introductus est, & templum ædificari, dominatus Ecclesiasticus exerceri, ac pedetentim puritas ab Ecclesia recedere visa est, multitudo ergo templorum ad imitationem gentilium in Ecclesiam invecta *Bœhmero* iudice, Parochiis constituendis ansam dedit. Hæc *Bœhmerus* prolixo calamo persequitur in *jur. Paroch. sect. 2. cap. 2. per tot.* Nos in præsentiarum ei litem non inferimus, erit, ut, ubi de *Ecclesiis ædificandis* in propria sede acturi sumus, templum per hunc architectum temere excitata destruamus.

6 Origo igitur Parochiarum ex communi DD. nostrorum Sententia antiquissima est primis Ecclesie sæculis cœva, ut testantur *Alexander Natalis Histor. Eccles. tom. 4. sæcul. 4. cap. 5. art. 7.* *Thomassin. de veter. & nov. Eccles. discipl. part. 1. lib. 2. cap. 21. & 22.* *Claud. Fleurii in instit. jur. Eccles. part. 1. cap. 18.* *Van-Espen J.E.V. part. 1. tit. 3. §. 2.* qui scribunt, jam Sæculo IV. vel paulo ante Parochias, quas Romæ *titulos* vocabant, fuisse erectas, & quidem in urbibus majoribus citius, ac in villis, oppidis, & civitatibus minoribus, prout nempe & populi major, aut minor frequentia ipsas quoque Ecclesias multiplicari exposcebat: *V. Gonzalez ad cap. 2. h. t. n. 9.* Quod ipsum ex testimonio scriptoris etiam hæretici *Josephi Binghami* confirmamus, qui de *Originib. Eccles. vol. 3. lib. 9. cap. 8. §. 2.* scribit: *Ecclesia Parochiales æque antiquæ sint, ovortet, ac necessitates Ecclesie, & qui diem natalem adscribere noverit alteris, ille alterarum quoque originem, particularis cujusvis civitatis seu Diœcesis in toto*  
Y 2 ter-

terrarum orbe intuitu facile poterit ostendere. Qui deinde in §. 3. & 4. ostendit, jam à temporibus Apostolorum Romæ, & Hierosolymis plures una Ecclesias fuisse constitutas, quin fervidissimis quoque persecutionum temporibus jam in villis & vicis Parochias excitatas, iisque Presbyteros præpositos fuisse ex Concilio Illiberitano, & Neo-Cæsariensi demonstrat. Hæc de Parochiarum origine pro instituti nostri ratione compendio retulisse sufficiat.

7 Ut Parochiarum nativa quoque indoles pateat, sciendum est, inter alia requisita ad Parochiam principaliter desiderari, ut certi fines ab Episcopo designentur, intra quos populus per unum Parochum regatur. Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 13. Ex quo apparet discrimen inter Ecclesiam curatam simpliciter talem, & Parochialem, dum illa certis limitibus non est circumscripta, bene vero ista: unde, si intra eosdem designatos fines populus subinde nimium augeatur, ut ad unam Ecclesiam ægre convenire possit, filialis Ecclesia erigitur, sine assignato tamen certo districtu, quæ curata quidem dici poterit, non vero Parochialis. Similiter si ad aliquam Ecclesiam ruralem extra fines antiquæ Parochiæ in loco v. g. noviter ad fidem converso, vel in sylva recens extirpata de novo conveniant homines, ibique habitare incipiant, talis quidem erit Ecclesia curata, non vero Parochialis, donec autoritate Episcopi limites determinentur, & hoc pacto Parochia constituatur.

8 Quæres I. An fines Parochiarum præscribi valeant? Resp. I. si de fini-

bus, & limitibus autoritate Episcopi constitutis per legitimas probationes authentice constet, illi nulla præscriptione convelli possunt. Textus in cap. 4. b. t. cap. 5. § 6. C. 16. Q. 3. Ratio decisionis est, quod boni publici interfit, ne privata cujusque autoritate passim novi limites cum jurisdictionum confusione constituentur. Barbof. de potest. Episc. part. 3. alleg. 131. num. 5. Et ex hac ratione etiam limites Diocesum, ac Provinciarum à præscriptione immunes sunt d. cap. 5. 6. § 7. C. 16. Q. 3. quod ipsum etiam circa limites Jure Civili cautum legitur in l. 5. C. fin. regund.

Resp. II. Si fines ita confusi sint, ut non appareat, qualiter olim limites autoritate Episcopi fuerint constituti, præscriptioni locus erit, & quidem quadragenaria, quia, ut inquit Alexander III. in cap. 8. de Præscript. adversus Ecclesias minorem præscriptionem, quam quadraginta annorum Romana Ecclesia non admittit. Ratio Conclusionis est, quod in tali casu causa, ob quam finium præscriptio sublata est, cesset: nam fines cum nulli appareant, etiam confusio admissa præscriptione metuenda non est. V. Barbof. cit. allegat. num. 12. Granaanietto ad cap. 4. b. t. num. 4.

Dixi, quadragenariam præscriptionem hic desiderari. Contra hoc assertum videntur reclamare Textus in cap. 3. 4. 6. § 10. C. 16. Q. 3. qui breviori meta, videlicet 30. annorum fines taliter confusos præscribi luculenter asserunt. Ut huic oppositioni satisfiat, omnisque inter canones conflictus evitetur, ad loca, in quibus dicti Canones conditi sunt, reflectere oportet,

ter, simulque ratio habenda est temporum, in quibus præscriptio tum *tricennaria*, tum *quadragenaria* introducta fuit. Primum ergo in Oriente ad perimendas actiones nulla alia præscriptio, quam *tricennaria* agnita fuit, ut constat ex Constitutione Theodosii junioris in l. 1. C. Theod. de act. cert. temp. finiend. & l. 3. C. Justin. de Præscript. 30. vel 40. ann. qui idem terminus deinde etiam in occidente per Nov. VIII. Valentiani III. receptus fuit. Per Justinianum vero laxatus fuit hic terminus ita quidem, ut in gratiam Ecclesiarum præscriptionem centenaria minorem admittere noluerit, ut constat ex l. 23. C. de SS. Eccles. & Nov. 9. quæ Anno 535. promulgata fuit, cujus tamen largitatis Justinianum paulo post pœnituit, dum sex circiter post annos præscriptionem *centenariam* rursus sustulit, edita Nov. 3. in qua tamen hanc prærogativam Ecclesiis omnibus indulsit, ut contra eas non *tricennaria* sed *quadragenaria* duntaxat præscriptio posthac opponi possit, quem eundem terminum etiam posuit pro temporalibus præscriptionibus, quæ alias 10. 20. vel 30. annis etiam contra Ecclesias compleri poterant. His prænotatis etiam loci ratio habenda est, in quo dicti Canones conditi fuere. Canon ergo III. IV. & X. ex Concilio Toletano IV. & IX. Canon vero VI. qui quidem sub nomine *Innocentii* Papæ refertur, reipsa tamen ex Concilio Hispanensi II. desumptus est. Jam vero dicta Concilia in Hispania habita fuere, ubi non Codex *Justinianus*, sed *Theodosianus* ex Alarici præcepto collectus vim & auctoritatem obtinuit, ac subinde relati Canones, dum solius

præscriptionis *tricennariæ* meminere, ad Codicem *Theodosianum* respexerunt. Aliter in Ecclesia Romana res se habet, quæ leges, & Novellas *Justiniani*, mox ut evulgatæ fuerunt, recepit, & agnovit, & ideo S. Gregorius Magnus scribens Petro Diacono lib. 1. Epist. 9. (cujus fragmentum recitatur in cap. 2. C. 16. Q. 4.) in præscribendis finibus tempus *40. annorum* determinavit, *si fines inconcussos Monasterium quadraginta annis possederit*. Et ita, si tempora, & loca bene distinguantur, omnis antinomia, quam historiæ ignarus interpret relatis Canonibus affinxerit, propulsata apparet. Et hanc, quam è locorum & temporum differentia attulimus, Canonum conciliationem non obscure probasse videtur Alexander III. in cit. cap. 8. de Præscript. dum scripsit: *adversus Ecclesias minorem præscriptionem, quam quadraginta annorum Romana Ecclesia non admittit, IIGET QUIDAM CANONES COMPROBENT TRICENNALEM*. Consule Van-Espen in Comment. ad Decretum Gratiani part. 2. dist. C. & Q. ex quo hanc doctrinam hausimus.


Resp. III. Si limites Parochiæ, vel Diœcesis *materialiter* spectentur pro ipsa proprietate fundi limitanei, præscribi possunt, eo effectu, ut proprietas, & dominium fundi acquiratur præscribenti, salvis interim finibus, ita ut post completam quoque proprietatis præscriptionem rationem finiendi, & limitandi retineant, nec limes unius Diœcesis, vel Parochiæ restringatur, alius vero extendatur, id quod colligitur ex cap. 6. & 15. de Præscript. cap. 1. eod. in 6. ubi jura Episcopalia vel Pa-

rochialia intra fines alterius Dioecesis vel Parochiæ via præscriptionis immemorialis, vel quadragenariæ cum titulo acquiri posse dicitur. Panormit. in *cap. 9. de Præscript. num. 1.* Magnif. P. Schmier *lib. 1. tract. 2. cap. 4. n. 16.*

12. Quæres II. Unde colligi possit aliquam Ecclesiam esse *Parochialem*? Resp. id una certa & universali regula vix posse definiri, cum ex juribus Ecclesiarum Parochialium propriis aliqua etiam aliis Ecclesiis reperiantur vel per specialia concordata concessa, vel per præscriptionem acquisita. Sic exercitium curæ animarum in foro poenitentiali, obligatio audiendi Divina in certa Ecclesia, asservatio Evcharistiæ, Matrimonii celebratio, fons Baptismalis, Cœmeterium, jus sepeliendi, decimarum, & oblationum præstatio &c. quæ omnia certæ proprietates & jura sunt Ecclesiarum Parochialium, in multis Parochiis non reperiuntur conjuncta, & econtra aliqua etiam aliis Ecclesiis convenire noscuntur, ut jus decimandi, S. Evcharistiam asservandi, defunctos sepeliendi &c. ideo de qualitate Parochiali alicujus Ecclesiæ ex exercitio unius vel alterius juris Parochialis liquidò constare non potest. Notat tamen Barbofa *de Offic. Paroch. cap. 1. num. 27.* ut aliqua Ecclesia Parochialis esse credatur, quatuor esse probanda I. exercitium curæ animarum in foro poenitentiali. II. Certi fines & districtus, cujus incolæ ad talem Ecclesiam convenire soleant.

III. Quod per unum Sacerdotem populus & Ecclesia regatur. IV. Quod ille ipse Sacerdos suo nomine & tanquam ordinariam potestatem habens regimen Ecclesiæ tenuerit.

Quæres III. Quantus hominum<sup>13</sup> numerus ad unam Parochiam constituendam sufficiat? Resp. communiter decem domos, sive familias requirere DD. ut videre est apud Barbof. *d. cap. num. 20.* Card. de Luca *de Paroch. disc. 23. num. 17.* per *cap. 3. C. 10. Q. 3.* ubi decem mancipia, sive domus vel familiæ pro una Ecclesia Parochiali designantur. Hodie in constitutione Parochiæ ad id potius attenditur, ut populus commode ad Ecclesiam Parochialem convenire, Sacramenta percipere, Parochus vero ex decimis & oblationibus eorum congruam sustentationem habere possit. Quod si proinde populus unius Parochiæ in tantum excreseat, ut per unum Parochum sufficienter regi nequeat, novam Parochiam, invito etiam priori Parocho, Episcopus erigere potest. Concil. Trid. *Sess. 21. de Reform. cap. 4. cap. 3. de Eccles. adif.* Et econtra, si Parochia aliqua ad tantam inopiam redigatur, ut ex decimis & redditibus Parochus congrue sustentari nequeat, alia beneficia simplicia eidem unienda, aut, si nec hac, nec alia ratione subveniri valeat, illa alteri Parochiæ unienda erit. Concil. Trident. *d. Sess. cap. 5.* ut dictum in *tit. ut Eccl. benef. sive diminut.*



## §. II.

## De Obligationibus, &amp; Juribus Parochorum.

## SUMMARI A.

14. Parochorum munia principaliora recensentur. 15. Parochus debet esse Sacerdos, aut saltem intra annum Sacerdotium suscipere debet. 16. Si pingues habeat redditus, ex declaratione Cardinalium Missam quotidie applicare debet. 17. Jura Parochialia in specie enumerantur. 18. Parochus non habet regulariter jurisdictionem fori externi, sed tantum interni. 19. Quam etiam extra Parochiam in suos Parochianos valide semper, & nunquam etiam licite exercere potest.

14. **O**bligatio Parochorum principaliter in cura animarum, quæ non immerito *ars artium* vocatur in *cap. penult. de et. & qualit.* & in administratione Sacramentorum consistit, de qua fuse Barbosa per integrum tractatum *de Parochis*, & passim Theologi Morales. Nos hic principaliora duntaxat munia summariter recensebimus. Tenetur ergo Parochus I. singulis diebus Dominicis, vel Festivis in propria Ecclesia vel per se vel per alios ex justa causa Missam celebrare. *Trid. Sess. 23. de Reform. cap. 14.* Piasecius in *praxi Episc. part. 2. cap. 3. num. 10.* II. S. Evcharistiam subditis non tantum pro casu urgentis præcepti, sed & aliàs rationabiliter petentibus ministrare, Confessiones eorum audire, Baptismum conferre, si sit Sacerdos, secus delegare. Ugolius *de Offic. Episc. cap. 15. §. 6. num. 7.* III. Matrimonii Parochianorum suorum assistere, aut alteri *Sacerdoti* assistendi licentiam dare. *Trident. Sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.* IV. Plebem sibi commissam Verbo DEI diebus saltem Dominicis & Festivis pascere, ibique Festa & Junia per hebdomadam incidentia populo denuntiare. *Trid. Sess. 5. de Reform. cap. 2.* V. Extremam unctionem graviter decumbentibus ministrare, pueros doctrinam Christianam & fidei Rudimenta docere. *Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 4.* Barbosa *d. tract. cap. 15.* & quidem Parochis incumbere, ut hæc munia extra casum necessitatis per se obeant, pluribus demonstrat Van-Espen *J. E. V. part. 1. tit. 3. cap. 4. §. 2. seqq.* Quodsi vero populus alicujus Parochiæ ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo, jubentur Parochi à Concil. *Trid. Sess. 21. de Reform. cap. 4.* tot Sacerdotes ad hoc munus rite obeundum sibi adjungere, quot sufficiunt ad Divina peragenda, & Sacramenta exhibenda. De obligatione Parochorum ad residentiam personalem, item de professione fidei intra primum bimestre à die adeptæ pacificæ possessionis emittenda jam dictum est in *Tit. de SS. Trinit. & ad tit. de Cleric. non resid.*

Ad obligationes Parochorum illud 15 quo-



quoque referas, quod Parochus, qui ad Parochiam presentatur, debeat esse Sacerdos, aut saltem intra annum à die adeptæ pacificæ possessionis numerandum Sacerdotium suscipere debeat. *cap. 2. de insit. in 6.* secus cessante legitimo impedimento sine ulla prævia monitione ipso jure sua Parochia privatur *cap. 14. de Elect. in 6.* ita, ut in foro poli etiam ante Sententiam fructus, ipsamque Parochiam amittat. *Garzias de Benef. part. 11. cap. 5. n. 10.* *Barbos. de Offic. Paroch. part. 1. cap. 5. num. 11.* Dixi cessante legitimo impedimento, quale esset, si Episcopus eum ordinare aut nolisset aut non potuisset, quia impedito non currit tempus *cap. 5. de concess. Præbend.* nisi sua culpa impedimento causam dedisset *cap. 1. de etat. § qualit.* *Barbos. cit. cap. 5. num. 20.* nam etsi culpa præcesserit, si tamen illa non fuit ordinata ad impedimentum inducendum, impedito tempus non currit per *cit. cap. 5. de concess. præb. & declarationem Cardinalium, quam refert Barbosa loc. cit.*

16 De eo forte quæsieris, num Parochus, sicut tenetur Missam dicere in propria Ecclesia, ita eandem pro populo suo applicare teneatur? Parochi libertati hæcenus communiter favebant Theologi, quos bene multos recenset *Barbos. de Offic. Paroch. part. 1. cap. 11. num. 10.* At hodie ex Declaratione Cardinalium, quæ sub Innocentio XI. emanavit, distinctio adhibenda est, ut, si Parochus pingues habeat redditus, hoc est, tales, ex quibus congrue & commode possit vivere, singulis diebus Missam pro populo applicare teneatur: sin vero tenues fuerint redditus, sufficit diebus Domini-

cis, & Festivis applicare. Decretum, sive Declarationem Cardinalium à se in forma authentica visum refert *Antonius Begnudellius Bassus in Biblioth. jur. tom. 3. V. Parochus pag. 395. n. 24.* quem omnino consule.

Habent quoque Parochi sua pecu-<sup>17</sup>liaria jura, quæ consistunt partim in emolumentis, quæ percipiunt, partim in functionibus, quæ ipsis vi officii exercere private competit. Ad priora referuntur jus decimandi, jus primitiarum, & oblationum, item portio canonica, quarta funeralis. *Riccius in praxi Paroch. resol. 301. § seq.* de quibus juribus aut hæcenus dictum, aut posthac dicetur. Posterioribus accenseas jus administrandi Sacramenta. *Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 13.* in specie Sacramentum Evcharistia, cujus Parochus ordinarius Minister est, ita quidem, ut in *Clement. 1. de Privileg.* in Religiosos sacram Synaxin Laicis, aut Clericis sine venia Parochi distribuentes pœna excommunicationis ipso facto incurrenda statuta sit, cui tamen Constitutioni per consuetudinem contrariam derogatum est, ut experientia notoria docet. *Van-Espen J. E. V. part. 2. tit. 4. cap. 1. num. 20. § seq.* Similiter Ordinarius Minister Baptismi est Parochus unde nulli alteri Sacerdoti Baptismus *solemnem* sine Licentia Parochi conferre licet, aliud est in casu necessitatis, ubi etiam Laicus, sed sine solennitate, Baptizare potest, ut communiter docent Theologi Morales. Administratio Sacramenti pœnitentiæ itidem ad Parochum spectat, ita quidem, ut spectato jure antiquo nulli alteri Sacerdoti confiteri cuiquam fas est-

esset, ipsaque confessio Sacerdoti non suo facta invalida haberetur, ut colligitur ex *cap. 4. & cap. 12. de Pœnit. & Remiss. cap. fin. eod.* Ratio erat, quod sicut Parochis solis id temporis Sacramentorum, & Verbi Divini dispensatio respectu populi sibi concediti competeat; ita quoque iis solis pœnitentiarum impositio, & pœnitentium reconciliatio commissæ erat. Van-Espen *cit. part. tit. 6. cap. 5. num. 7. & seqq.* Sæculo vero VIII. cœpit etiam regularibus, & sensim aliis Presbyteris hæc potestas ex privilegio Apostolico & auctoritate Episcopi indulgeri, *salvo tamen jure Parochi*, cum SS. PP. per sua privilegia *juri tertii præjudicare* velle non præsumantur. Et ideo cum semel duntaxat in Anno singulis fidelibus confessio Sacramentalis juxta ordinationem Concilii Lateranensis in *cit. cap. 12. de pœnit. & remiss.* injuncta sit, eandem quisque apud Parochum suum, aut cum ejus venia alteri Sacerdoti deponete tenetur, aliæ Confessiones per annum, quæ pro devotione cujuslibet Christiani instituuntur, cum ex lege Ecclesiæ fieri non debeant, sed cujuslibet arbitrio id relictum sit, jus Parochi non lædunt, si Parochiani alteri Sacerdoti approbato confiteantur. Vid. laudatum Van-Espen *d. cap. 5.* Ad Parochum quoque privative spectat administratio Sacramenti extremæ unctionis, ut docent omnia Ritualia, & Ordinationes Synodales, unde in *d. Clem. 1. de Privileg.* censura excommunicationis feriuntur regulares, qui non habita Parochi licentia hoc Sacramentum administrare attentaverint. Denique ad Parochum quoque spectat solennis assistentia in matrimonio; de

qua nos suo tempore, ubi ex instituto de matrimonio agemus. De jure honorario sive præcedentiâ Parochorum consule Barbosa *de Paroch. part. 1. cap. 9. per tot. Pignatell. tom. 3. consult. 50. & seq.*

De jurisdictione Parochi id porro **18** notandum venit, quod ad forum duntaxat *internum* restricta sit; in foro quippe *externo* regulariter nullam jurisdictionem habet. Dixi *regulariter*. Nam ex commissione Episcopi, vel ex consuetudine, quod in casibus particularibus frequentius occurrentibus ut in præcepto jejunii, observatione Festorum; quoad vacandum ab operibus servilibus, audiendum sacrum &c. dispensare subinde possit, Parochus, docet Sanchez *lib. 8. de Matrim. disput. 9. num. 27.* Suarez *de LL. lib. 6. cap. 14.* quia consuetudo dat jurisdictionem *cap. 13. de for. compet.* dispensare vero in votis, vel juramentis non potest, nisi ex speciali Privilegio id ipsi indultum fuerit. Sanchez *d. l.* quia hæc potestas nec jure communi, nec de consuetudine Parochis, sed solis Prælati jurisdictione Episcopali, vel quasi tali præditis competit. Panormit. ad *cap. 1. de Voto num. 7.* Ex eadem causa Parochus censuras ferre nequit, ut colligitur ex *cap. 3. de Offic. jud. ord. & cap. 10. de V. S. cap. 1. de Sent. excomm. in 6. & praxis Ecclesiarum confirmat.* Panormit. ad *cap. 2. de Offic. Ord. num. 10.* Quodsi censura v. g. excommunicationis vel interdicti à Canone statuta sit *ferenda Sententia*, non potest Parochus transgressorem ob neglectam v. g. Communionem Paschalem ab Ecclesia prohibere, sed prius rem ad Episcopum referre

debet, nisi aliud consuetudine sit receptum, adeoque id fiat ex tacita Episcopi commissione. Si poena sit *late Sententia*, & delictum publicum ac notorium, potest, imo tenetur Parochus talem à sacris prohibere, si non foret tolerandus, sed vitandus v. g. propter percussorem Clerici.

19 De reliquo potestas, & jurisdictio Parochi in foro poenitentiali non adeo loco, aut territorio Parochi alligata

est, quin etiam extra Parochiam *valide* saltem, imo cum causa etiam *licite* Parochianorum suorum Confessiones excipere, aliaque Sacramenta administrare possit, intellige *privatim*, non *publice*, sine Licentia Parochi loci, quia nec Episcopus in aliena Dioecesi jurisdictionem suam exercere valet. *cap. 7. de Offic. jud. Ord. in 6. Zerol. in praxi Episcop. V. Parochus.*

## §. III.

## De Obligationibus Parochianorum.

## SUMMARI A.

20. Parochianorum nomine qui veniant? 21. Quae illorum obligatio? 22. An diebus Festis extra Parochiam audiendo Missam satisfaciant precepto? 23. Affirmatur. 24. Nisi ex contemptu id fieret, & quidem a potiori parte communitatis. 25. Marchantiū crisis castigatur.

20 **A**Ntequam de Obligationibus Parochianorum breviter dicamus, prius nōsse oportet, quinam nomine Parochianorum veniant: dicuntur ergo Parochiani omnes illi, qui intra limites Parochiæ ab Episcopo designatos stabiliter habitant, & domicilium figunt, sive Laici sint, sive Clerici, imo etiam beneficiati, qui, residentia in loco sui beneficii temere neglecta, alibi stabiliter habitant, nam & injustum domicilium Parochianum facit, ut docet Cardin. Tuscus *lit. P. Concl. 99. num. 2.* Quodsi aliquis in duabus Parochiis se ita instruxerit, ut non minus in una, quam in altera se collocasse videatur, velut si nobilis in uno castro per æstatem, in altero per hyemem vel promiscue hic, modo ibi habitet, non vero animi causa, vel pro-

pter ruralia exercenda ad villam in aliena Parochia sitam excurrat *cap. 3. de Sepult. in 6.* in utroque loco incola, & Parochianus erit, etsi talis nulli perpetuo manere, & consequenter nec domicilium fixisse censetur, sufficit tamen ad domicilium constituendum in uno loco, ut inde non recedat, nisi intentione redeundi *arg. l. 7. C. de incol. & l. 6. §. 2. ff. ad Municip.*

Parochianorum, & Parochorum 21 obligationes sunt reciprocae, veluti ergo Parocho incumbit administrare Sacramenta, Missam pro populo suo dicere, eumque Verbi Divini pabulo pascere; ita mutua obligatione tenentur Parochiani Sacramenta à suo Parocho recipere, Verbum Divinum in Ecclesia sua Parochiali audire, ibidémque Di-

Divinis, maxime SS. Missæ Sacrificio diebus Dominicis, & Festivis interesse. Nam, sicut testimonio Christi Joan. 10. boni Pastoris est, oves proprias noscere, easque ad salubria pascua educere, ita eodem testificante, ovium est vocem pastoris audire, & vocantem sequi. Van-Espen J. E. V. part. 1. tit. 3. cap. 10. num. 1.

22 Illud tamen non extra dubium est, an Parochiani singulis Dominicis & Festivis diebus teneantur Missam cum Concione in sua tantum Parochia audire, ita ut alibi audiendo non satisfaciant præcepto? Difficultatem facit Extrav. 2. de Treuga & Pace inter commun. ubi Religiosis mendicantibus sub excommunicatione prohibetur, ne prædicent, *populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochiis diebus Festivis & Dominicis, cum jure sit cautum, illis diebus Parochianis teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.* Item cap. 2. h. t. ubi jubentur Parochi alienos Parochianos, qui contempto proprio Parocho suo volunt audire Missam, ab Ecclesiis suis abjicere. Unde pronum est inferre, Parochianos simpliciter teneri audire Missam in propria Ecclesia Parochiali, & ita sentiunt Van-Espen cit. cap. 10. per tot. Marchantius in candelabro Mystico tract. 4. cap. 7. & in Resolut. Moral. cap. 8. qui impotenti quodam animi affectu abreptus in Regulares plus æquo durius invehitur, eos philacteria dilatare, & privilegiorum suorum simbrias magnificare inflata verborum acrimonia erepat.

Nihilominus contrarium defendunt Layman lib. 4. tract. 7. cap. 3. n. 2. Azor tom. 1. lib. 7. cap. 3. Q. 7. & lib. 12. cap. 2. Q. 1. Suarez de Relig. t. m. 1. lib. 2. cap. 26. num. 5. Gutierrez lib. 1. Can. Quest. cap. 30. n. 7. 33. & seq. Zerola in praxi Episc. part. 2. V. Parochia & part. 1. V. Missa §. 6. Etenim Concil. Trident. Sess. 24. de Reformation. cap. 4. Parochianos moneri tantum vult suæ obligationis, ut Parochiæ suæ intersint, *ubi commode id fieri potest*, quod utique absolutam obligationem non inducit. Imo Barbosa ad d. locum Trident. num. 12. & ad Sess. 22. de Sacrif. Miss. cap. 8. à Cardinalibus declaratum refert, quod nequidem sub censuris aliisque pœnis cogere possit Episcopus populum ad audiendam Missam in Parochia. Idem part. 1. de Offic. Paroch. cap. 11. n. 15. refert, declarationem Leonis X. qua expresse declaratur, omnes fideles, qui apud Religiosos mendicantes (idem est de aliis Ecclesiis) Missas sine contemptu Parochiæ propriæ audiunt, præcepto Ecclesiæ satisfacere, nec ullam peccati labem incurrere. Quod ipsum Barbosa repetit de potest. Episc. part. 1. allegat. 24. num. 18. & ad Extravag. 2. de Treug. & Pac. n. 4. Ad datur etiam Decretum Clementis VIII. de Anno 1592. die 22. Decembr. quod incipit: *presenti nostro Decreto sancimus &c.*

Illud cum Azorio d. cap. 6. Q. 6. 24 ultro admittimus, quodsi non tam unus aut alter ex Parochianis, sed ferme omnes, aut major pars eorum Parochiam defereret, aut contemneret, Episcopis liceat simplici mandato sine

Constitutione edita, & absque irrogatione pœnarum id prohibere, tanquam cedens in injuriam, & contemptum proprii Parochi. Si enim Jure Divino, ut probe advertit Gonzalez ad *cap. 2. h. t. num. 11.* ex Concil. Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 13.* pastores tenentur diligenter cognoscere vultum pecoris sui, suosque greges considerare, quomodo cognoscent, quos nunquam in Ecclesia sua vident: & si animalia ad nos non spectare dicuntur, quæ animum revertendi non habent, vel revertendi consuetudinem deseruerunt *§. pavonum 15. Inst. de R. D.* quomodo certi pastoris oves dicentur, quæ vocem ejus nunquam audiunt, caulam nesciunt, & pastorem non noverunt. Et de hoc casu intelligendum est *cap. 2. h. t.* nempe si contemptus propriæ Parochiæ interveniat, non vero, si quis propter majorem commoditatem suam (uti præsertim in Civitatibus & oppidis, non vero pagis contingit, de quibus major ratio dubitandi esse posset) aut quia id videt passim ab aliis fieri ac tolerari, alias Ecclesias frequentet. Unde & illud prorsus improbable videtur, quod docuit Zypæus in *Analyf. Jur. Pontif. h. t. num. 2.* contemptum ex hoc ipso præsumi, quando aliquis sine causa probabili frequentare Paro-

chiam negligit: omnes enim communitates reclamarent, & passim contraria consuetudo vigens, tanquam optima juris positivi interpres, aliud suadet, ita, ut contraria Decreta à Marchantio allata vel de contemptu intelligenda, vel non recepta, aut contrario usu abrogata merito conferi debeant.

Regularibus subinde non habet<sup>25</sup> Marchantius, quod succenseat, quod illi Privilegiis suis tenaciter inhæreant, siquidem illis etiam volentes renuntiare nequeunt *cap. 5. de arbitr.* Nec prodigalitates quisquam arguat SS. Pontifices, quod ejusmodi favores Regularibus liberaliter indulserint, cum notorium sit, quod horum opera in varias mundi plagas, doctrina Christi translata sit (quod nec Germania ignorat) & eorum subsidio etiam hodie ut plurimum conservetur. Audiat Sixtus IV. in *cit. Extrav. 2. de Trev. §. Pace inter commun. cum in veritate* (inquit) *fides nostra sit illuminata, §. Ecclesia exaltata per eosdem* (scilicet Religiosos mendicantes, de quibus ibi sermo) *§. præsertim per Ordines Predicatorum, §. Minorum, ut jurantur.* De obligatione Parochianorum quoad *Decimas, primitias* &c. in *tit. seq.* dicetur.

